

XX.

Nupta tibi sine dote datur! sic audio dici.

Unde, miser, vives tuque domusque tua?

Dum tu solus eras, soli non proficiebat

Res tua; sufficiet nunc minus illa tibi.

5 Ancillam nuptae, famulum tibi, naevole, quaeres,

Nutricem¹ puero, cum puer (ortus) erit.

Cum sis omnibus his vestemque cibumque daturus,

Non poterit sumptus res tua ferre tuos.

XXI.

Querela monachi.

Condicione nova mihi dantur quatuor ova,

Haec nova condicio prodiit ex vitio.

Responsio abbatis.

Si tibi praebemus laeto vultu quod habemus,

Dicas esse satis, quia conferimus tibi gratis.

XXII.

Avertens² vultum noli transire sepultum,

Sed precibus dominum fac sibi propicium!

Heu! mortis portam quis claudet semper apertam,

Quae rapiendo probos devorat et reprobos?

5 Heu! cinis et vermis, quid in ista carne superbis,

Quae similis fumo cuncta reponit humo?

O! qui, dum vixit, vivendo deum benedixit

Votaque tunc voluit reddere, dum potuit.

E contra multi, quos claudit porta sepulcri

10 Achles, nunc siccas multiplicant lacrimas.

Quorum vox sterilis circumtonat atria regis,

Pulsant per gemitus nec datur introitus.

Qui legis haec verba, miserere iacentis in urna;

Et sic esto sibi, ceu tibi sint alii.

15 Lex nostrae sortis exposcit debita mortis,

Omnis ut unde meat spiritus huc redeat.

Dic, deus hunc redimat, ac alta pace quiescat,

Adsignato crucem, cum benedicis! Amen.

XXIII.

Militet in domino, quisquis bene militat, huius

Militiae deus est mite patrocinium.

XX. fol. 42a I (in 2 Epigramme getheilt bei Hauréau, Notices et Extr. (1890) I, 378 aus cod. lat. Paris. 8433. W. W.). XXI. fol. 36b I. XXII. fol. 16b I. XXIII. fol. 73b I.

1) 'Niticism' c., verb. von W. W. 2) 'Auertêdo' c., 'do' vom Rubricator.